Numerus 4 - Anni II
:: Aprilis 1925 ::

Roma (30) - Via S. Nicola da Tolentino, 8

ACIES ORDINATA

EPHEMERIS MENSTRUA
NOSTRIS DIRECTORIBUS
CONGREGATIONUM B.M.V.

OBLATA A SECRETARIATU
CENTRALI CONGREGATIONUM B. M. V. :: :: ::

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

De modo novam Congregationem instituendi

Desiderium novae Congregationis instituendae aliquando ab ipso populo sentitur, aliquando a sacerdote consulto cietur.

Primus modus ille est, quod iuvenes, viri, feminaeve viam quaerunt ad vitam spiritualem more ordinato et collectivo agendam et Mariano amore excitati sentiunt se hunc finem in Congregatione Mariana magis quam usquam alias consequi posse. Re inter similium sensorum participes collata sacerdotem adeunt, et ut Congregatio instituatur petunt.

Alibi sacerdos primos gressus facit. Scit, quanta sit Congregationis utilitas; videt eius necessitatem. Cogitat de modo illam instituendi eique paulatim viam parat. Loquitur cum aliquibus melioribus viris, iuvenibus, feminis. Dat eis libellos vel ephemerides sodalitias legendas. Excitat desiderium quorundam paucorum, ut hi rei propagandae Apostoli sint apud ceteros.

Praeparatio remota

Ad animos melius praeparandos uti licet ss. Exercitiis vel Missione vel serie conferentiarum religiosarum. Postquam homines ad instaurandam vitam catholicam excitati et ad apostolatum inflammati sunt, facile erit commendare Congregationem, tamquam viam ac rationem constanter in hos fines incumbendi. Optima praeparatio est etiam devotionem Marianam altius in mentes figere.

Antequam Congregationem in aliqua urbe vel parochia instituas, deliberandum est, qualem Congregationem, vel quales instituere velis. Sacerdos dexter in agendo etiam simul tres vel quatuor Congregationes ordiri potest, generatim tamen ab una erit incipiendum. Quaenam sit ista: an virorum, an iuvenum, virginumve, mature considerandum est. Si utcumque fieri potest, prima Congregatio in quolibet loco sit virorum, vel certe iuvenum. Nam quod primum apud viros incipit, id facile imitandum sibi proponent iuvenes et mulieres, non autem viceversa. Sic proh dolor, plurimis in locis vel nomen Congregationis a viris iuvenibusque spernitur, quia prima Congregatio puellarum vel puerorum vel mulierum vetularum erat. "Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu...", etiam hic versus valet. Si statim puellas eligis, quod eas facile invenias adducere ad Sodalitatem, noli mirari, quod dein viros non allicit Congregatio. — Sunt tamen adiuncta, ubi tam aspera sit Sacerdotis vel parochiarum condicio, ut ad Congregationem instituendam una relinquatur via: virginum vel mulierum. Tum ab his erit incipiendum.

Saepe impedimenta viam tibi obtrudere videntur. Neque tamen statim cedendum est. Accidit, ut difficultas maior appareat, quam revera sit. Quidnam unquam grandiusculi sine victis obstaculis instituitur?

Sed quid faciam, inquies, cum iam adsint duae vel tres Congregationes femineae, eaeque dormitantes? Quomodo tunc viros iuvenesque ad Congregationem instituendam adhorter? — Ne hic quidem est desperandum. Institue Congregationem virilem, formis et nominibus, quoad fieri potest, diversam ab illis, quas feminae adhibent. Si "Congregatio" femineum quid audit, voca Congregationem tuam "Sodalitatem", et contra: si illa "Sodalitas" erat, tua "Congregatio" sit. Utere aliis numismatis, alio (si fieri potest) sacello, aliis Officialium appellationibus etc. In Congregationibus virorum ac iuvenum formae magis democraticae sunt quaerendae in gubernio, item opera et devotiones magis viriles.

Multum confert ad bonum initium multaque detrimenta quasi ab ovo avertuntur, si Director statim ab initio Sodalibus futuris satis altos fines

proponit et mensuram severiorem adhibendam esse in seligendis membris inculcat. Sentire debent Sodales futuri, Congregationem rem seriam omnino esse, seu programma vitae, ut hodie aiunt, nec satis esse nomen ei dare vel initio tantum Regulas et exercitationes eius observare. Indoles seria, qua Director "suaviter in modo, sed fortiter in re" statim ab exordio rem Congregationis gerit, etiam Sodales futuros replebit, et omnia postea alacrius atque fortius fient, si Director exspectationem communem alte elevare et a Sodalibus futuris multa postulare ausus fuerit.

Praeparatio proxima

Quibus rebus perfectis ad Sodales futuros conscribendos venitur. Id duobus modis componi potest. Aut enim sacerdos publice ex sacro suggestu, exposita Congregationis natura, invitat eos, qui Congregationi nomen dare cupiunt, ut hanc voluntatem sibi indicent; aut privatim invitat eos, quos ingressuros esse praesumit, ad conventum confidentialem, ut ibi eis rem proponat eosque ad instituendam Congregationem et ad ingrediendum in eam exhortetur.

Generatim priore via incedendum erit, ubi de Congregatione mulierum vel adolescentium agitur; posteriore, ubi viri vel iuvenes maturiores quaeruntur. Priore etiam modo adhibito libertas Directori servanda est recusandi admissionem ab illis, quos ineptos ad vitam sodalitiam iudicaverit; quam maculam sibi inuri viri, iuvenesque maiores et independentes, vix unquam patientur. Apud adolescentes vel mulieres haec difficultas facilius solvitur, etsi non semper.

Nequaquam suadendum est Directori, ut primo statim ictu magnam Sodalium turbam sibi conglobet. Contra satius est paucos initio habere, sed omni exceptione maiores, nec tantum vitae integritate ac moribus geratos, pietatique devotos, sed etiam ad agendum pro Ecclesia alacres. Paulo indulgentior tum demum Director sit, cum ob rationes peculiares maior statim numerus Sodalium requiritur, ut Congregatio existimationem publicam inter cives et parochiales adipiscatur, et ceterum omnes, qui admittuntur, spem bonam faciunt.

Coactis primis Sodalibus, seu rectius Candidatis, primus conventus in statutum diem indicitur, fitque uti conventus de more fieri solent. Exhortationis argumentum primo tempore Regularum commentatio uberior erit. Iam inde ab exordio aliquis a Directore ipso nominatus vice Praefecti, alter vice Secretarii officioque fungitur. Diligentia in frequentandis conventibus urgetur, absentesque notantur. Mox Consilium parvum e prudentioribus colligitur. Fiuntque consultationes de rebus particularibus clarius definiendis (titulo duplici etc.), de loco, tempore, modo conventuum, de Regulis localibus condendis, si opus sit, de novis Candidatis admittendis et ita porro. Saepe unus vel alter inter Sodales invenitur, qui iam aliquando in Congregatione aliqua vixerit, ususque et Regulas bene intellexerit; is, nisi aliae dotes eum deficiant, Candidatis posterioribus instruendis praeficitur.

Sic aliquot menses Congregatio, seu verius Congregationis nucleus, tentaminis gratia vitam degit Tentamine dein bene superato ad ipsam erectionem canonicam Congregationis fit gradus.

Erectio et aggregatio

De iure esse Congregatio tum demum incipit, cum ab Episcopo, vel si de domo, templo, instituto nostro agitur, ab A. R. P. N. erigitur. Quid ad erectionem requiratur, exposuimus "Brevi Catechismo Congregationis Marianae", seu *Silvae Marianae* numero 1.mo, pag. 9 sq. Ibidem de aggregatione quoque omnia breviter exhibentur. Quare iis, quae ibi dicta sunt, repetendis hic supersedemus.

Addimus unam rem. Ubi primum erectio accepta est, prima sollemnis admissio praeparanda erit. Convenit ss. Exercitia, si fieri potest, praemittere. Admissio sollemnior adornanda est, ut et Sodales momentum magis sentiant rei, de qua agitur, et externi aedificationem et Sodalitatis existimationem maiorem percipiant. Si interim etiam aggregatio obtenta est, Sodales die admissionis plenariam indulgentiam lucrari possunt. Post admissionem Officiales adhuc munere functi aut iterum confirmantur, aut more solito — per electionem — renovantur.

Sicque nova Congregatio vivere coepit. Post aliquot menses uni alterive Sectioni vel Academiae initium dari poterit.

Multum profecto interest Sodalitatem bene coepisse. Plus tamen: bene coeptam bene evolvere.

A: Nos Communionem virorum menstruam omni studio promovemus. Hoc nobis sufficit.

B: Audi, quid dixerit Parochus quidam summae experientiae, Sodalitatum Marianarum cognitor optimus: « Si Communionis menstrae virorum usum non vis esse aedificium arenae superstructum, fundamenti instar ei suppone Congregationem. Secus habebis opus sine operante, apostolatum sine apostolis, cubiculum calidum sine fornace. Sodales sunt optimi Communionis menstruae fermentum ». (Cfr. Präsides – Korrespondenz, 1925 pg. 100).

De apostolatu preli

Exposuimus nuper conspectum totius apostolatus contemporanei, operaque illa, quibus (apta utique selectione facta) Sodales nostri zelum ac fervorem in Ecclesia defendenda animisque adiuvandis exercere possint.

Liceat nunc unam prae ceteris apostolatus moderni rationibus paulo accuratius perlustrare, quippe cui praecipuum quoddam pondus inesse omnibus constet, quemque pro modulo suo curare Sodales nostri satis facile omnes possint. Agemus *de apostolatu libellorum atque ephemeridum omnis generis*, quos moderno vocabulo breviter *prelum* seu impressionem appellabimus. Agemus autem eo modo, ut simul Directoribus de hac re ad Sodales dicere cupientibus materiam aliquam praebeamus.

Omnium autem primum scire oportet, *quantae sint vis et momentum preli hodierni* in flectendo imbuendoque placitis suis lectorum animo. Prelum potestatem esse omnes sciunt, sed paucissimi comprehendere videntur, quam late pateat, quamque exitialis sit preli acatholici ad pervertendos homines actio. A Napoleone I ephemeris quaedam "quinta Europae potestas" appellata est, sed hodie non immerito prelum prima vocari in vita publica formanda potest. Ingens enim hominum multitudo nihil fere legit, nisi ephemerides, ab eisque habet totam cogitandi rationem, totum modum opinandi, iudicandi, sentiendi, vivendi, res omnes atque adeo religionem et Ecclesiam aestimandi vel despiciendi, amandi vel exsecrandi.

Ephemerides et libelli impressi totum fere rerum et idearum hodiernarum regnum gubernant. Hae sunt, quae pro plurimis hominibus temporis nostri cogitent et loquantur ; quid iustum et aequum sit, quid agendum vel quomodo vivendum sit, hae praescribunt pro plurimis. Ea generatim dogmata vitae culturalis ac socialis praevalent, quae a prelo dominante maxime propagantur, defenduntur, sustinentur. Est prelum modernum quasi machina quaedam ingens, qua ideae ac iudicia producuntur, qua mentes centenorum milium flectuntur, qua tota fere societas humana tamquam crudis materia volvitur ac formatur. Est gubernaculum, quo navis regitur vitae privatae, socialis, politicae, intellectualis, oeconomicae, moralis, imo magnam partem etiam religiosae. Quale est prelum alicuius populi, talis paulatim ille ipse populus efficitur.

Undenam preli hodierni tam singularis in animos legentium influxus? Undenam eius incredibilis potestas?

1. Prelum istud, et maxime prelum acatholicum, vera potestas est, quia quasi inopinato altissime in mentes hominum se ingerit, ea ex parte eos capessendo, qua debiliores sunt : *curiositate* inprimis et *rerum novarum cupidine* atque *animi levitate*. Omnes nimirum nosse res recenter gestas depereunt, vehementerque descriptione delectantur eventuum insignium ; omnes fere libenter legunt ephemeridem, quae parvo pretio empta conspectum omnium rerum novarum et memorabilium totius mundi lectori exhibet : rerum politicarum et privatarum, catastropharum, scandalorum, litium, inventionum, sollemnitatum ; quae praeterea lectores edocet vim eventuum perspicere, ita ut sine multa capitis fatigatione res diversissimas intelligere et iudicare possint, ac se sapientiores sentiant ephemeride perlecta quam antea. Praeterea ephemeridum lectione distractio iucunda datur, homo ex trita cotidianae vitae condicione quasi ad regiones aliquas sublimes elevatur, in res splendidas, iucundas, magnas transfertur, lucubrationibus ac narrationibus polite scriptis recreatur (1). Prelum his hominum inclinationibus sese accommodat, eosque sic captos ducit quo vult.

2. Magna deinde potestas est prelum modernum, quia *culturae quam vocant universalis est generale vehiculum et instrumentum*. Etiam ii, qui nihil serio didicerunt, ephemerides legendo superficialem aliquam culturam accipiunt, qua ornati de omnibus rebus loqui posse se autumant. Blanditur certe homini posse se etiam sine profundis studiis loqui de "omni re scibili et quibusdam aliis" ; etiamsi nihil serio didicerit, tamen iudicare de vita et morte sibi licere. Ephemeride autem (aliquot centesimis empta) imbuitur lector etiam parum versatus notitiis politicae interioris et exterioris, literaturae et inventionum modernissimarum, theatri et "sport", de eventibus socialibus, de philosophia et horticultura, de scientiis naturalibus et modo parandi cibos, de novissimo modo sese vestiendi et de spiritismo, de habitatoribus Martis et bolshevismo russo. Quanta cum gravitate deinde simplex ille faber vel operarius vespere in tabernis colloquia miscet de rebus publicis! Quanto cum gaudio exponit "sua" iudicia sive de legibus ferendis et de relationibus statuum, sive de capacitate vel stupiditate primi ministri ; de Primo de Ribera et Mussolini, de Herriot et Chamberlain, de prospectibus singularum gentium Europae, de inventionibus modernis, de scientia et arte, de poetis et scriptoribus et episcopis! Putat se suas quidem opiniones sapientissimas prodere, cum nihil faciat nisi plenis buccis ea recoquat, quae mane ex ephemeride sua hauserat! Putat se bonus homo

(1) Sic simplex quaedam mulier ruri in abiecta vivens condicione magna cum assiduitate ephemerides et libros romanenses legerat, et interrogata, cur id faceret, respondit: "Pauper cum sim, vehementer me delectat, saltem legendo in alium mundum transferri, audire reges et ministros, versari inter duces et baro-nes et marchionessas, facere itinera et agere festa, habitare in Riviera, saltare Parisiis, cartis ludere in Monte Carlo, utique phantasia tantum ; et haec omnia pro aliquot centesimis!"

ephemeride sua ditatum fuisse, cum contra mancipii instar a prelo in servitutem quamdam mentalem sit redactus !

3. Auget potestatem ephemeridis, quod lectores suos non semel tantum et iterum, sed *quotidie alloquitur*, centiesque milliesque placita sua asseclis *repetit*. Facit id forma semper eleganti et varietatis plena : modo in articulis politicis, modo in narratiunculis romanensibus, modo in informationibus et notitiis diurnalibus, modo effata citando virorum insignium. Iamvero etsi semel, bis, decies, vicies resistere eadem inculcanti possis, centies, millies idem repetenti vel invitus victas dabis manus. " Gutta cavat lapidem non vi, sed saepe cadendo ". Ephemeris non te sinit quiete reflectere : vix folia matutina perlegisti, adest fasciculus meridianus ; vix deponis paginas meridionales, adest diurnale vespertinum.

Ubinam est praeceptor, qui tot discipulos habeat et tam assidue eos doceat ? Mane ad ientaculum, meridie a prandio, vespere ante cubitum ? Qui te ubique prosequatur, blande te alliciens et ad legendum invitans, domi, foris, in plateis, in curru ferreo et electrico, inter laborandum, inter quiescendum, fere etiam inter comedendum ? Ubinam est praedicator, quem quotidie per horas audias ? Quem cotidie 10, 100, 1000 milia hominum auscultent, halitu retento, attentione summa ? Sacerdos loquitur ad te semel in hebdomada per horam vel semihoram ; ephemeris cotidie fortasse per horas. Sacerdos loquitur ad aliquot centena hominum piorum ; ephemeris ad centena milia hominum diversorum : piorum et impiorum, doctorum et simplicium, adultorum et iuvenum ; loquitur deputatis et gubernatoribus aeque ac servis et humilibus, professoribus Universitatum aeque ac frugum venditricibus in nundinis, bancariis et aurigis, magistratibus et agricolis. Est omnium magistra, directrix, regina.

Nec mirum igitur, quod omnes fere paulatim tales fiunt, quales sunt ephemerides, quas lectitant. Da populo optimo prelum malum, et brevi malus fiet : irreligiosus, immoralis ; da populo malo prelum bonum, et brevi religionem aestimabit, mores corriget, melior efficietur.

4. Potestatem porro preli auget, quod *quasi divina attributa imitatur :* omnipraesentiam, omniscientiam, celeritatem, aeternitatem. — Imitatur Dei *omnipraesentiam*. Dum tu noctu decumbis et dormis, in redactionibus febrili quadam agitatione diurnalia scribuntur, in officinis vero subterraneis ingentes machinae parantur ; fila telegraphica et telephonica immensam informationum molem per omnes terras ac maria transmittunt, similiter radio electrico per aerem... Inclinati super mensas scriptores articulos complent ; ministri, viri docti, artifices sua effata redactoribus dictant ; literati, poetae, Academici sui laboris fructum offerunt. Mox moventur machinae rotativae et quam celerrime innumeram diurnalium catervam eructant, aliquando 30.000 ephemeridum per horam : impressa, plicata, secta. Conglobantur numeri, expediuntur, et summo mane, te adhuc quiete dormiente, primis curribus ferreis rapidis in omnes terras ac provincias, urbes, oppida, pagos divehuntur. Post aliquas horas in centenis civitatibus ephemeris clamatur, venditur, emitur, legitur, devoratur ; ac si totae provinciae in aulas quasdam lectorias essent transformatae, milia ac milia hominum oculis et mente imbibunt ea quae paucis horis ante collecta, scripta, impressa sunt. Ephemeris omnipraesens fit per ditiones integras ; adfertur summo mane ad ianuas fabricarum, ubi operarii confluunt, et ad lectulos divitum serius surgentium, ad agricolam in campis, ad militem in casernis, ad omnes, qui per plateas transeunt. — Imitatur ephemeris *omniscientiam* Dei : loquitur de omnibus rebus, quae in terra, sub terra et super terram fiunt ; scit ea quae heri acta sunt in parlamento anglico et in congressu Statuum Unitorum, in Sinis et Australia, in Helgoland et Honolulu, in bursa Chicagoiensi et in banca Romana, in theatris Parisiensibus et in nundinis Hispaniae, et fere securius etiam, quid sit veri de coelo et de inferno. Loquitur prelum istud cum certitudine aliqua indubitata ; omnia melius scit, quam quivis hominum, imo quam ipse Deus, neque ab eius effatis appellatio datur. — Imitatur *celeritatem* Dei : dum deputatus adhuc in comitiis loquitur, iam initium orationis eius in platea impressum venditur ; dum in palaestris sportivis vel in bursa vel in negotiationibus publicis de victoria vel exitio agitur, iam spem victoris et exitum probabilem nunciat. Ea quae trans Oceanum fiunt, semihora post legi possunt in eius paginis. — Imitatur *aeternitatem :* nunquam loqui aut agitari desinit, nunquam quiescit, nunquam influere in mentes hominum cessat. Omnes scholae habent ferias, sola schola preli nunquam vacat ; ex omnibus scholis excrescimus, ex schola preli nunquam : pergit nobiscum esse a iuventute ad tumulum, et perget homines instruere, ducere ac seducere, cum nos dudum in tumulo iacebimus.

5. Auget tandem preli potestatem eius *anonymia*. Oracula dodonica ibi dantur fortasse ab imberbibus et ignorantibus Judaeis, quibuscum manus conserere, quos ad familiam tuam admittere recusaveris ; sed cum anonyme omnia scribantur, tu ea tamquam divinitus missa oracula acceptas. " Ephemeris dixit ", ais et timore quodam reverentiali ignotos illos doctores audis, eos ad mensam familialem invitas, mentem tuam, mentesque uxoris, filiorum, filiarum tuarum eis exhibes, ut in eas id quod volunt inurant : sua dogmata, suos mores, suum modum cogitandi de Deo et Ecclesia, de

sacerdotibus et regibus, de guberniis et philosophiis, de matrimonio et pretio virtutis femininae, de educatione puerorum et valore vitae. Si scires, quis sit, quocum loqueris, a quo educari te sinis, fortasse indignabundus eum expelleres ; sic autem ad pedes eius assides et devote iusculum absorbes, quod ille tibi coxit, qui fortasse iam in carcere ob perditos mores sederat.

* * *

Iam ingens ista preli hodierni potestas maximam partem *inimicorum est Ecclesiae.* Iudaei et francomurarii sunt plurimarum ephemeridum et proprietarii et scriptores. Neque fortasse fallimur dicendo : 90 per centum diurnalium magnorum in Europa et America aut Iudaeorum esse, aut hostium Ecclesiae, aut certe hominum, qui nihil de religione catholica curant.

Horrendum hic spectaculum panditur : ergo id, quo nihil efficacius ad mentes et iudicia hominum innumerorum formanda influit, per totum fere christianum orbem maximam partem in manus inimicorum Christi est delapsum ! Ergo duces idearum et quasi dictatores vitae mentalis hodiernae : servi sunt Belial ! Ergo Europae et Americae gentes christianae ex cathedris Antichristi docentur, formantur, educantur, diriguntur ! Quantum periculum ! Licetne homini religionem amanti hanc rem non curare, potentissimum medium propagationis idearum hostibus relinquere ?

(Continuabitur).

QUAESTIONES PRACTICAE

Possuntne absentes in Congregationem admitti ? *Casum hunc aliquis e NN. proponit :* Aliqui Candidati nostri in sanatorio quodam detinentur, neque adesse possunt, quando sollemnis admissio novorum Sodalium obitur. Cum ceterum dignissimi sint, velim eos quamvis absentes admittere. Potestne hoc fieri ?

Respondemus : Ordinarie non sunt admittendi novi socii nisi praesentes. Ex iusta tamen ratione et exceptionis instar admissio etiam absentium valida censenda est, ut P. Mullan habet num. 318, ubi etiam documentum quoddam adhibet. Requiritur tamen hic, uti semper, *a*) voluntas manifestata Directoris eos admittendi, *b*) voluntas manifestata admittendorum acceptandi admissionem. Utraque certe res literis missis fieri potest. Sed potest Director etiam facultatem delegare e. g. capellano sanatorii, ut suo loco sollemni quadam caeremonia illos admittat, de quibus agitur.

Cuiusnam Congregationis sunt Sodales absentes vel membra honoraria ? *Est casus :* Habemus in Seminario duas Congregationes : maiorum et minorum. Iam si quis Sodalis iunior e Seminario discedit, eratque socius Congregationis minoris, cuiusnam Congregationis fit membrum absens vel honorarium ? Maioris an minoris ?

Respondemus : Minoris, nisi in maiorem transgressus et admissus fuerit.

Propter aggregationem supervenientem debentne Sodales iterum admitti ? Sic quaerit aliquis. Agitur de casu, ubi Sodalitas SS. Angelorum iam ab aliquo tempore viguerat et postea uti Congregatio B. V. Reginae Angelorum Primae Primariae aggregata est.

Respondeo : Si Sodalitas tamquam Mariana canonice erecta erat, Sodales in eam semel admissi non debent denuo admitti propter solam supervenientem aggregationem. Si tamen Sodalitas aut non erat Mariana (sed tantum SS. Angelorum), aut non erat canonice erecta, admissio iterum fieri debet (etsi actu simplici et collectivo), non propter aggregationem, verum propterea, quod admissiones in Sodalitatem Marianam non valent, nisi haec ut talis canonice erecta sit.

Potestne quis duabus Congregationibus simul adscriptus esse ?

Redactor cuiusdam nostrae ephemeridis Sodalitiae ad quaestionem de *transitu Sodalis ex una Congregatione in aliam* (tractatam pag. 15 num. I huius anni) haec scribit : " Non possum consentire solutioni datae in A. O. Non enim requirit Regula, ut Sodalis in alium locum migrans atque ubi Sodalitatem sibi convenientem inveniens ita in hanc transeat, ut prioris Congregationis membrum esse desinat. Imo dicit Regula 30 : " Sodales semel rite admissi in Sodalitatem aliquam semper *eiusdem* membra remanent, nisi sponte eam deserant aut indigni dimittantur ". Ad quaesitum, num quis duabus simul Confraternitatibus simul adhaerere possit, S. Congregatio respondit affirmative. Quare iure infertur posse aliquem duabus, imo pluribus Congregationibus simul adscribi atque etiam, ubi in aliam Congregationem transit, simul manere iuridice quoque primae suae Congregationis membrum. Neque Sodales, maxime feminae, ullo modo induci possunt, ut in novam Congregationem, ubi degunt, transeant, si propterea nomina sua in priore Congregatione deletum iri sciant. Dicamus igitur melius : eos (vel eas) pertinere hoc casu ad utramque Congregationem simul, etiam iuridice.

Respondemus : Solutio ista nobis non arridet.

Libenter concedimus verba Regulae 30 (et 47) sensu supra indicato intelligi posse ; non tamen ita intelligi *debent.* Verum etiam est, Regulas nunquam loqui de " *transitu* " ut tali vel de *dimissione* Sodalis ex priore Congregatione, cum transit in aliam. Sed neque pars contraria ex Regulis erui potest. Regula enim 30 (supra citata) solum de *perpetuitate adscriptionis ad Congregationem* loqui videtur, abstrahitque a quaestione transitus ad aliam Congregationem, de quo Regula 47 agit. Illa vox " *eiusdem* " potest generice intelligi, ut significet " eandem, scl. Congregationem ". Si vero omnino premere vis ibi indicari " eamdem individuam " Congregationem (quod facere potes sistendo in vocabulo : " aliquam "), manet altera phrasis : " nisi sponte eam deserant ", id quod non tantum apostasia quadam, sed etiam transitu ad aliam Congregationem fieri potest. Qui transitus Reg. 47 praescribitur, ubi dicitur Sodalem alio migrantem ad indulgentias acquirendas *teneri* Sodalitatem alteram *ingredi.* Itaque ex Regulis ipsis de quaestione illa : num transiens ad aliam Congregationem e priore Congregatione delendus sit, nihil certo erui potest. Certo erui potest solummodo obligatio Sodalis, ut in

Sodalitatem novi sui domicilii sibi convenientem ingrediatur.

Sed tum quaero: qua ratione transiens iste Sodalis simul prioris Congregationis socius manere possit? Indulgentias solum semel acquirit, idque evidenter in nova sua Congregatione tantum; nam ideo debet ad novam Sodalitatem transire: "ad indulgentias acquirendas tenetur ...ingredi". Vitam sodalitiam totam agit in 2-da Congregatione. Officia Sodalis in hac 2-da implere debet, iura Sodalis in hac 2-da exercet. Quodnam igitur vinculum iuridicum cum 1-ma Sodalitate remanet? Nisi morale quoddam vinculum caritatis et pietatis, quo fit, ut nomen eius in libro etiam prioris Congregationis servetur, addita tamen nota, illum transiisse ad aliam Sodalitatem, neque amplius Sodalem ordinarium et proprie dictum Congregationis huius esse.

Nec multum provocemus ad analogiam cum Confraternitatibus. Duabus Confraternitatibus adscribi possum, etiamsi hae scopos inter se similes prosequantur, quia ibi indulgentias utriusque lucrari possum et officia utriusque implere, cum haec non sint sensu stricto socialia. Possum e. g. duabus diversis Confraternitatibus Scapularium adscribi et utriusque indulgentias lucrari. Sed non possum e. g. Confraternitati Scapularis Carmeli duobus locis adscribi et indulgentias easdem bis lucrari, etsi officia Confraternitatis bis impleam. Simili quodam modo non possum duabus Congregationibus Primae Primariae nostrae aggregatis sensu exposito adscribi, saltem ubi officia et iura Sodalitatis solum uno loco exercere possum.

Sed dices: Ipse Director est membrum Sodalitatis, quam regit. Si igitur tres Congregationes regit, est simul membrum omnium trium Congregationum.

Dices etiam: aliquando Sodalis quidam adultus (e. g. ludimagister) est socius Congregationis virorum, simul autem tamquam subdirector fungitur in Sodalitate puerorum. Annon etiam huius secundae Sodalitatis indulgentias acquirit, e. g. die ordinarii conventus vel festi principalis? Ergo est membrum utriusque.

Respondeo: Utique his et similibus casibus, ubi quis *revera agit vitam socialem duarum* (vel etiam trium) *Sodalitatum* et *in utraque simul omnia officia implet*, probabiliter dicendus est simul ad plures Sodalitates simul pertinere et indulgentias singulis Congregationibus proprias lucrari. Sed in quaestione nostra aliud est suppositum. Hic enim supponitur, Sodalem *transmigrare, neque vitam sodalitiam nisi in 2-do loco degere posse.* Hoc casu adscriptio iuridica ad 1-mam Sodalitatem simul cum vita sodalitia, cum iuribus et officiis cessare videtur.

Sed dices: Tunc a pari cessare dicendus est character sodalitius, ubi Sodalis migrat in locum, in quo non est Congregatio ei conveniens. Et tamen Sodales sic absentes non respiciuntur tamquam qui cessent esse Sodales. *Respondeo:* Disparitas in eo est, quod hoc casu Sodalis non *potest* plenam vitam socialem Congregationis agere, quare ab officiis illis socialibus exercendis interim dispensatur seu levatur. In nostro autem casu *potest* officia exercere *intrando* in novam Sodalitatem; quare etiam in hanc intrare seu transire *debet;* facto autem hoc ingressu officia et iura in 1-ma Sodalitate pro illo *omnino cessant*, i. e. vinculum iuridicum abrumpitur.

Haec theoretice dicta sint.

Quod vero ad praxin attinet, *nocere* omnino censemus sententiam, quam impugnamus. Utique nocere potest etiam sententia nostra, si quis eam crudius adhibet et dicit per transitum ad aliam Congregationem *omne* vinculum cum 1-ma Congregatione simpliciter cessare. Hoc autem nullatenus sic dicendum est; imo inculcandum, Sodalem transeuntem simul etiam prioris Congregationis catalogo contineri (modo supra dicto), literarum commercio cum Directore vel ipsa Congregatione primitiva iungi debere, posse renovationi festivae consecrationis corpore vel litteris adhaesionis missis interesse; si quando in priorem locum revertatur, ad Congregationis prioris conventus admittendum esse (utique: hospitis instar) etc. Etiam diploma prioris Congregationis retineri solet.

Nisi tamen urgeamus necessitatem ingressus atque *omnimodae adhaesionis* ad novam Sodalitatem, damna gravissima emergunt. Nam 1°: Sodales, etsi intrent in novam Sodalitatem, si se tamen primario ad aliam Congregationem pertinere sentiant: se quasi tantum hospites in hac 2-da Congregatione gerent, nec se totos directioni novi Directoris et operibus consuetudinibusque 2-dae Congregationis dedent. 2°: Non plene huic 2-dae Congregationi adhaerentes neque hoc neque illo loco officia Sodalium implebunt atque — uti usu docemur — mox totam vitam sodalitiam neglegunt. Idem dicendum est, ubi quis, postquam adolevit, e Sodalitate iuvenum non transit simpliciter ad Congregationem virorum. Sic multis in locis nulla Congregatio virorum vel universitariorum bene evolvitur, quia omnes adulti se adscriptos sentiunt Congregationi puerorum in aliquo Collegio: hanc non frequentant, alteram tamquam non adeo suam neglegunt. 3°: Ipse ille conceptus et modus cogitandi nocivus est, quo quis sibi fingit: posse se Sodalem esse alicuius Sodalitatis, etsi nulla Sodalitatis officia ibi servet nullamque vitam sodalitiam agat. Hoc conceptu increbrescente facile eo venitur, ut Congregatio piae cuidam Confraternitati aequiparetur, ad quam satis est intrasse, ut eius membrum maneas. Non putamus hanc fuisse mentem eius, qui Regulas condidit; imo ex Regula 47 contraria pars evincitur.

Quare in praxi — quidquid sit de mere theoretica disputatione — sic melius proceditur:

1° Intranti in aliquam Sodalitatem inculcandum est (e. g. in instructione Candidatorum) adhaesionem ad Congregationem esse *perpetuam*, ita ut si quis sive in alium locum, sive in alium vitae statum transierit, etiam in Congregationem sibi magis convenientem transire debeat.

2° Hoc transitu facto manet membrum Sodalitatis prioris sensu quodam morali, et cum ea vinculis caritatis atque fidelitatis manet iunctus, *iuridice* tamen penitus transfertur ad aliam Congregationem, i. e. omnia iura et officia Sodalitatis, indulgentias et ipsam vitam sodalitiam ibi quaerere eum oportet.

3° Quae res ut magis mentibus Sodalium haereat, discendentes Director ipse ad novam Sodalitatem dirigat eisque literas dimissoriales (uti fieri solet) cum commendatione det.

4° Maneat tamen vinculum quoddam *morale*, literarum usus etc. cum priore Sodalitate ad aedificationem.

5° Generatim nemo respiciatur Sodalis per solam admissionem et inscriptionem, sed solum is qui vitam socialem in Sodalitate quadam, quantum potest, agat.

CHRONICA

Bonn (*Germania*). — Ex annalibus Congregationis virorum apparet, quam felici fructu gaudeat bene directa Sodalitas.

Sunt Sodales omnino 670. Initio anni 1924 erant 588. Admissi sunt mense Maio 70, Decembri 42, readmissi 8, transeuntes aliunde 2. Mortui sunt 20, alio migrarunt 6, ex albo deleti sunt 14. Augmentum igitur erat 122, decrementum 40, augmentum totale 82. Sectiones locales seu melius novae Congregationes in suburbibus erectae sunt 2.

Sodales praeter internam vitam Congregationis apostolatum foris exercebant eo potissimum modo, ut communiones menstruas virorum (» Männerapostolat «) in singulis urbis parochiis promoverent. Imo pro singulis parochiis Commissiones singulae inter Congregatos institutae sunt, quarum esset more quodam stabilito Parochis assistere in operibus apostolatus laici. Sic e. g. in parochia quadam triduo eucharistico celebrato 50 viri ad id adduci sese sinebant, ut operi communionis menstruae supra dicto adscriberentur. Sodales praeterea modo in hac modo in illa ecclesia parochiali maiore numero confluxerunt, ut generalem virorum communionem splendore et frequentia augerent.

Neque sese pleniore religionis cognitione imbuere Sodales omiserunt. Sic invitatis sacerdotibus peritis conferentias audiverunt de his thematis: De problemate patiendi et de modo res adversas ferendi, De ss. Bibliis atque rerum naturalium scientia, De parte divina et humana in Ecclesia; De Missione Sinensi deque revolutione mentali ac religiosa illius terrae, De sigillo confessionis eiusque Martyribus, De cinematographis etc.

Familialis vitae simul et religiosae aedificationis erat auxilio sollemnis academia, qua Praefecto Congregationis 25 annos in Sodalitate explenti omnes gratulabantur; deinde excursio quaedam recreatoria; tandem peregrinatio virorum religiosa ad quoddam sanctuarium urbi vicinum, cui manifestationi 300 viri intervenerunt.

Habet Congregatio sectionem aliam cantui sacro destinatam, aliam curae sociali deditam adolescentium, qui scholis absolutis in vitam egrediuntur. Praeterea contra haeresiarcharum Adventistarum pestem foliis volantibus ad 50.000 distributis pugnatum est. Ediderunt deinde Sodales elenchum mercatorum et industrialium suorum, ut etiam in rebus oeconomicis sese mutuo et iuvarent et aliis commendarent. Tandem in Conferentiis S. Vincentii assidue desudarunt, multaque centena chilogrammata nutrimenti inter egestate pressos distribuerunt (e. g. pomorum terrae chilogrammata 7.500).

Talibus exemplis consideratis quisnam negaverit Congregatione bene directa eximios fructus pietatis, caritatis, apostolatus posse etiam inter viros maturari?

Praga (*Bohemia*). — Apostolatus Sodalium Pragensium multum auctus est, ex quo tempore Sodales eo modo in curam animarum iuvandum induximus, uti id in A. O. legimus. Inter Sacerdotes saeculares res primum discussa et propagata erat, tum gradus fiebat ad Sodales novo labori suscipiendo lucrandos. Omnes fatebantur urbem hanc ideo media fere parte paganam et irreligiosam esse factam, quod cura animarum veteratis omnino agendi modis tabuisset; esseque mirandum magis, quod tam parum aptis methodis non plures a fide et longius deflexissent. Omnia progrediebantur, sola organisatio apostolatus semisaeculo retardari videbatur.

Nunc alacri animo ad organisandum auxilium laicum ventum est. Commissiones parochiales — ubi id Parochi volebant vel grati admittebant — institutae, Mandatarii domorum et platearum designati; fere omnes e Sodalium Marianorum coetibus. Singulae familiae invisuntur, pericula avertuntur, bona scripta propagantur, aliaque de more, ut A. O. enumeravit, fiunt. Immenso, dixerim, fructu. Sed etiam id usu illo docemur, serium laborem apostolicum, nisi Sodalibus ad id bene educatis, nullum posse sperari. Quod ut ubique fiat, etiam in Sodalitatibus a clero saeculari directis, ipsi Sacerdotes modo quodam regulari edocendi erant artem Sodales bene instruendi. Quare nos id coepimus, ut cum s. Exercitiis Sacerdotum cursum aliquem vel conferentias coniungeremus de modo Sodales educandi tam ad veram vitam spiritualem (praeprimis Exercitiis bene dandis), quam ad apostolatum. In octiduanis s. Exercitiis unam cotidie conferentiam huic fini consecramus. Labor hic in Exercitiis potius inchoatur tantum, perficitur vero postea in recollectionibus menstruis. Aliquando etiam proprium « triduum pastorale » indiximus, cui 70 fere Sacerdotes intervenerunt. Grati illi quidem his occasionibus et utuntur et iuvantur, atque sic speramus fore, ut paulatim meliores dies religioni affulgeant, tribus gradibus de ordine factis: circa Sacerdotes, Sodales, fideles. — *A. S.*

Madrid (*Hispania*). — In Hispania Congregationes iuvenum eximie florere omnibus constat. Praeter ceteros Pater *Fiter* Barcinone optime meruerat de familia Mariana, Sectionibus et Academiis institutis, quarum esset Sodales ex merae precationis angustiore fano ad vitam et actionem sodalitio fervore instaurandas educere. Cuius inclyti Patris vestigiis hodiedum Patres nostri Hispani inhaerent, neque Congregationem quisquam ibi vocitaverit coetum quemlibet pium sed inertem. Receptus etiam est usus ille per Hispaniam, ut iuniores ephebi "Kostkas", maiores natu et universitarii "Luises" appellarentur, quod illis S. Stanislaus, his S. Aloysius secundario Patrono dari solent.

Pauca hic de "Luises" Matritensis Sodalitii tradere liceat ex foliis dempta, quibus "Estrella del Mar" titulus.

Hac una Sodalitate 900 socii continentur, quibus Director cum duobus e NN. assistentibus moderatur. Duas hi viri iuniores Eucharisticas Sectiones fovent, altera eos complectente qui quotidie, altera eos qui quavis certe hebdomade dape coelesti sese recreent; omnibus certe quovis mense, uti lex fert, sacra synaxi utentibus. Quotidianae Communionis Sectio 100, hebdomadariae 250-300 socios habet. Ne vero pietati caritas desit, 36 Sodales operi S. Vincentii a Paula adscripti 60 familiarum egestatem levandam de more sumpserunt; 15 vero nosocomia urbis invisere certant. Doctrinam Christianam alii 300 pueris enucleant in duabus parochiis populo affluentibus.

Praeter Sectiones opera accingunt se fortiter ephebi Mariani ad catholice excolendam mentem *Academiis* sodalitiis institutis. Conveniunt ad libros legendos dis-

cutiendasque quaestiones iuris, medicinae artis, scientiarum naturae, alias. Bibliotheca bene instructa haec inter studia iuvantur. Nec deest *theatrum* ad artem religioni iungendam, aut recreatoria honesta; illudque memorabile est, Sodales dramata suo ipsorum marte scripta scenico ludo proferre solere.

Praeterea opus est zeli nota dignum, Sodales *scholam vespertinam pueris operariis instruendis* sustinere. Pueri hic tribus classibus adscribuntur, in quarum una elementis scientiae (arte legendi, scribendi, calculos ponendi) imbuuntur, in altera scribere machina, libros mercatorios computare similiaque discunt, in tertia ad scholam artium industriae (a NN. Matriti directam) praeparantur. Docendi tempus sub vesperum est a hora 7 usque ad 8 1/2. Religio omnibus docetur. Hanc scholam vespertinam Sodales omnino 20 dirigunt, nullo percepto pretio seu stipendio. Cuius exercitii praeter cetera id est emolumentum, ut diversitas condicionum socialium sic amico quodam cotidianoque usu leniatur, puerique pauperes mirentur religionis pondus, qua iuvenes illi universitarii nulla lucri spe pellecti ad pupillos instruendos ac iuvandos adigantur. Exemplo isto ipsi quoque ad Ecclesiae ac vitae christianae amorem confoventur, cum iuvenes illos non solum docere, sed invicte quae docuerint facere cernant.

Ephemerides sodalitiae in Austria. — Ex litteris aedificantibus Prov. Austriae (Nachrichten der österreichischen Provinz) quaedam scitu digna erui possunt de propagatione ephemeridum Congregationis B. M. V. Quarum 5 in ea Provincia publicantur. Sunt autem addito ubique subscribentium numero hae:

Die Fahne Mariens (pro Sodalibus adultis), numerus exemplarium:	25.300
Präsides-Korrespondenz (pro Directoribus):	3.500
Unsere Fahne (pro studiosis iuvenibus):	8.000
Marienglöcklein (pro virginibus):	16.000
Mariengarten (pro pueris):	26.000
Summa	78.800

Sunt autem hae ephemerides *omnino sodalitiae*, i. e. tractant res directe ad Congregationem pertinentes, non solum res qualescumque bonas et utiles ad recreandos Sodales. Certe aliis quoque Provinciis exemplo esse possunt.

Ex Annalibus veterum Congregationum

(Gasp. Lechnerus: Sodalis Parthenius, Dilingae, 1628)

" Panormi quidam per speciem colloquii a femina evocatus, non obscuris signis insidias suspicatus, properavit inde se abripere. Ex eo dein tempore, quamvis negotiis suis saepius eodem revocaretur, transitu tamen per plateam illam semper abstinuit. — Ibidem alius ad flagitium comprehensus pallio relicto fugientem Iosephum repraesentavit. — Alius e simili incendio elapsus, recta ad aedem D. Virginis contendit, eique, quam defenderat, castitatem voto dicavit. — Quod hic votum nuncupavit victoria iam obtenta, alteri ad victoriam parandam commodo fuit. Nam unus aliquis e Viennensi Sodalitate in Gallia castimoniae votum nuncuparat, idque in libello parthenico consignatum sigilloque munitum apud se gestabat. Adiecit ad eum oculos animumque impura muliercula, variisque telis ac technis pectus castum adorta expugnare nitebatur; philtris atque incantationibus res gerebatur. Sed irrito omnia conatu, ad votum quasi ad clypeum appulsa, resiluerunt" (310).

TELEPHONIUM EDITORIS

Emendanda in ultimo A. O. fasciculo pag. 19 in prima sententia articuli " De operibus subsidiariis apostolatus " citatio paginarum *9* et *10* loco *3* et *4*.

Gratias pro obolis acceptis: P. *N. B.* Valencia lit. 34, 36. P. *J. M. B.* Arequipa lit. 100. P. *E. S.* Guadalajara pesos 40. P. *A.* S. Cristóbal doll. 5.

LIBRI NOVI

Silva Mariana num. 3. *Adalb. Bangha S. J.:* **De modo Sodales ad apostolatum inducendi.** — Articuli, qui de hac re in A. O. ter prodierunt, hic fasciculo separato collecti prostant. Visum est enim compendium quoddam manuale dare de apostolatus generibus, quod et Nostris et externis Directoribus usui esse possit, qui ordinato quodam modo Sodales in opera apostolica inducere eosque de his instruere cogitant. Cum tamen huius fasciculi materia in A. O. iam prodiit, eum non mittimus denuo lectoribus nostris gratis, secus ac priores duos Silvae Marianae fasciculos, sed iis tantum, qui pretio misso fasciculum sibi mitti desideraverint. Rogamus carissimos lectores, ut, si possunt, fasciculos *Silvae Marianae* inter externos quoque sacerdotes propagare velint, sive per se ipsos, sive per bibliopolas publicos. Pretium uniusquisque fasciculi est (posta inclusa) 1 lib. ital., 10 exemplarium 8 lib., 100 exemplarium 70 lib. ital.

Kleine Sodalenbuecherei. Herausgegeben von *G. Harrasser S. J.* Nr. 1: **Das Ideal der Mar. Kongregation.** Marianischer Verlag, Innsbruck.

Sodalenbuecher. Herausgegeben von *G. Harrasser S. J.* Band 6: *Rupert Wickl S. J.*: **Ein Büchlein vom innerlichen Leben.** 6–10. Tausend. Marianischer Verlag, Innsbruck.

Nova editio opusculi de » vita interna « Sodalibus porrecti seriae vitae sodalitiae est indicium apud Germanos et Austriacos. Iam integra bibliotheca operum et opusculorum prostat ad fovendam vitam sodalitiam, estque optimum signum opuscula talia tanto numero vendi. Utinam similes libri sodalitii etiam ubique prodeant!

Ks. Jan Rostworowski S. J.: **Przewodnik Sodalicyj Marjanskich.** Zlaczonych kanonicznie z Archisodalicja Rzymska zwana Prima Primaria. Kraków, 1925. Wydawnictwo Ksiezy Jezuitow.

P. Rostworowski hoc eleganti libro lingua polonica exhibet manuale quoddam Congregationum regendarum. Cum vita sodalitia in Polonia quoque indies progressus faciat laudabiles, instructio quaedam accuratior Directorum Officialiumque aliorum de rebus ad Congregationem pertinentibus nesessaria sentiebatur. Cui necessitati P. Rostworowski, Congregationum nostrarum per Poloniam strenuus promotor, accuratissime respondit.

Editor: *Adalbertus Bangha S. I.*

Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Tribuna di Campitelli, 24